



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 22. Philippus sub primis Regni sui auspiciis clementiæ studiosissimus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. tionem Burnetus die vigesima septima  
 A. C. 1554. Julii factam asserit. Finitis hisce solem-  
 niis Rex, & Regina Londinum vene-  
 runt, ubi magna profus pompa fue-  
 re excepti.

## §. XXII.

*Philippus sub primis Regni sui au-  
 spiciis clementiæ studiosissimus.*

Porro Philippus Angliam ingentibus pecuniarum summis locupletabat; quippe viginti septem arcæ infarso argento plenæ, eæque viginti plaustris impositæ ad turrim deferebantur, ac paulo post advenerant alia duo plaustra præter centum ferme equites, qui aureos, atque argenteos nummos deferebant: forte autem maxima hujus pecuniæ pars impendebatur, ut illa duodecies centena aureorum millia penderentur, quæ Cæsar quidem transmittere spondebat, nec tamen ante matrimonii celebrationem tradere volebat. Ut ut res se habuerit, id omnino constat, quod Philippus prudenti hujus auri distributione plurimum Anglorum benevolentiam sibi conciliaverit, suumque animi propositum, quo Religionem Catholicam penitus restaurare decreverat, ad felicem exitum deduxerit. His accessit ingens clementia, quam hic Princeps, licet primævo naturæ suæ genio admo-

*Burnet hist.  
 de ref. t. 2.  
 l. 2. p. 430.*

admodum severus esset, sub primis ta-  
 men Regiminis sui auspiciis præsefere-  
 bat, ipsique Reginæ Auctor erat, ut  
 libertatem captivorum quamplurimis  
 redderet, quos inter etiam Eboracensis  
 Archiepiscopus, nonnulli Equites, alii-  
 que Viri generis nobilitate insignes nu-  
 merabantur. Nec his contentus, om-  
 nem etiam conatum adhibuit, ut Eli-  
 sabetham, & Devonix Comitem pri-  
 stinæ restitueret libertati, quos tamen  
 extremo affici supplicio, Gardinerus ex-  
 optare videbatur, quantumvis Viatus  
 illos nuperæ conjurationis participes  
 haud fuisse paulo ante mortem suam  
 testaretur. Ast Gardinero haud inco-  
 gnitum erat, quod Mariæ fors sine  
 prolibus decedenti Elisabeta succede-  
 ret, ac quantocius Protestantium Se-  
 ctam rursus inveheret.

§. XXIII.

*Polus a Papa ad constantiam, animi-  
 que firmitatem admonitus.*

Priusquam hæ nuptiæ celebrarentur,  
 Cardinalis Polus in suspensionem  
 venerat, perinde acsi Cæsari diuturnior  
 ejus commoratio in Aula displiceret,  
 eumque revocari a Papa petiisset, hinc  
 ipse Julium Pontificem summis preci-  
 bus exorabat, ut Romam redire eidem  
 permitteret: Ast Pontifex adeo non

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1554.

*Pallav. hist.  
 Conc. Trid.  
 lib. 13. c. 9.  
 num. 1.  
 Ex lit.  
 Stellæ ad  
 Polum 23.  
 Maji 1554.*